



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

MODUS PRIMUS.

hæc procul à nobis. Interea labore tibi devoto, si
juvat, utere.



MODUS PRIMUS.

Sacræ Orationis formandæ

Constat, ex reflectione, ad Naturam, ad Artem,
& ad Scripturam. Hoc modo orationem for-
maturus, perspectâ sententiâ dicendâ diligenter,
hos tres gradus pervideat: ut quod suggesserint,
ad probationem susceptæ rei transferat, quod fiet,
si expendatur, quid de materia dicenda suggeri pos-
sit, ex natura rerum, quid ex arte, historiis, Poetis,
picturis, tum quid ex scriptura. E. g. ad illa verba
Matth. 4. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum expen-
dere posses, Dæmonem;* cum nos filiatione Dei
adoptiva vult spoliare, nunquam aliud suadere;
quam ut nos mittamus per peccatum deorsum. Est
enim peccatum, *ingens deorsum seu profundum,* cui
comparare deberes. In natura, foveas præcipita
profundum Marium. In arte, puteos & carceres.
In scriptura, specum Danielis, repletam leonibus.
Dan. 6. Saltum Absalonis, plenum præcipitiis &
infamem absunto exercitu 2. Reg. 18. Abyssum
Sodomæ & Gomorhæ cœlestibus repletam ignibus.
Gen. 19.

Similiter Dominica quarta post Pentecost: ad
illa verba. *Laborantes nihil capimus* Luc. 5. posset

A 3 forma-

formari propositio. Deo abnuente aut reluctante, omnes humanos conatus in cassum ire. Docet id Reflexio *ad naturam quia*, non quâ volumus, sed quæ datur, cæli temperie, vel intemperie. Terræ fæcunditate vel infæcunditate, Marium commoda vel incommoda tempestate, Aëris salubri vel non salubri haustu fruimur. Docet item eadem pestibus, morbis, bellis, mortibus, nullis viribus humanis (Deo abnuente) superabilibus. Docet reflexio ad *Artem* quæ apud Poetas ingentia hominum molimina, Gigantum bella, affectatas cæli sedes, in irritum cecidisse, narrat. Bene etiam quispiam ex Neotericis, idem designavit, Horologio rotatili sparso, hac Epigraphe affixa. *Sine Dei numine, nihil est in homine.* Docet denique innumeris locis *reflexio ad scripturam Ps I. Psal. 45. in Histor. Regum.* circa persecutionem Davidis à Saule. In libr. I. Danielis circa. *conspirationem contra eundem*, & aliis locis plurimis. Sit.

PRAXIS.

Dominica 17. à Pentecoste.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Matth. 21.

Accessus & propositio. Quæ nostra, cara quoq; nobis. Cara domus, quia nostra, cara supplex, quia nostra. Hac via ipse Deus se nobis commendat, cum ita dilectionem sui exigit, ut se, esse nostrum protestetur, inquiens. *Diliges Dominum Deum tuum.* Expendamus igitur, quibus rationibus Deum nostrum esse, nobis persuadere possimus.

Ut

MODVS PRIMVS.

7

Ute eo modo ad ejus dilectionem accendamur.

Confirmatio.

*Per Reflexionem ad Naturam, Artem,
Scripturam.*

Reflexio ad naturam. Respice ô homò te , & quę circumstantte,nec aliud facilius occurret, quam quod Deus , Deus tuus est: Clem. Alex. in Exhort: ad gentes , orbem , vocat *Academiam,in qua Deus discitur*. Non dispari merito affirmaveris Academiam, in qua Deus , Deus esse noster doceatur , quandoquidem omnia quę in mundo sunt , portant amoris nostri pignus , proferunt indicium , indicant memoriam,inducunt notitiam,ut item loquitur Gilibert. Ser. 4. in Cantica. Etvero ; factum est ut cum non essemus , existeremus , Creator noster est:ut cum simus,non desinamus , Conservator noster est: ut cum vivimus , ille animet . Vita nostra est:ut cum spiramus , ille recreet; spiritus noster est: ut cum operamur , ille agitet , motus noster est. Quicquid denique sumus , ille nobis totum est. In aëre spiraculum , in igne calor vegetans , in aqua humor refrigerans , in terra fulcrum sustentans . *Vniversa propter semetipsum operatus est dominus*, Prov. 16. *Propter semetipsum scilicet gratuita bonitate*, ait Bernar. Serm. 3. in Pent. *Propter electos suos, pro eorum utilitate*.

Reflexio ad artem. Improbum mundi amorem , improbissimi ejusamatores , ut affectibus humanis insinuent , mirè effingunt. Juvenem , ut à forma commendent: armatum,ut à robore; inermem, ut

A 4 à fa-

à facilitate. Applicant sagittas, ut cor feriat: admunt, ut rapiat; nullius denique, mutant speciem & vultum, uno semper proposito, ut tot modis dignum leto cupidinem, alant: & ad sui placitum efformando, persuadeant sibi, quod suus sit. O quam dignioribus amor Divinus variat formis, ut hoc nobis persuadeat, quod Deus, Deus noster sit.

Se nascens dedit socium.

Convescens in edulium

Se moriens in pretium

Se regnans dat in primum.

Outinam auscultemus? utinam intelligamus, quod Paulus dixit, ad Hæb. 2. v. 17. *Debuit per omnia similiari fratribus*, ut omnes scilicet lucrifaceret, & omnibus persuaderet, quod eorum esset. *Ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus.* *omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret,* inquit Epiphanius, hæres: 51. ubi advertere potes, ad illa verba, *ut nobis vita omnibus modis fieret,* & mirabiles modos, quibus salutem humanam operatur late prosequi.

Reflexio ad scripturam. Aderat vir, ætate pariter ac pietate venerandus Societatis nostræ Sacerdos communi à mensa gratiarum actioni, notavitque eum qui præibat, verba Pater noster ex præscripto præcum, clara voce dicenda, silenti Sibilo absumpsisse. Effudi igitur Senex in lachrymas, ac inde graviores singultus, quorum rationem dare jussus. *Quid ni ait graviter ingemiscam, quando hodie dulcissima*

cissima illa verba, quibus Deus se nostrum esse quotidie persuadet, id est, *Pater noster*, audire non merui: cum præterit, idem Dominus, gratissimum id sibi ostendens. *Jer. 3, 4.* edixerit. *Frons mulieris mere-tricis facta est tibi, noluisti eum bescere.* Ergo saltem à modo, vocame, *Pater mens, & Dux virginitatis meæ.* Expende pii senis, & scripruræ sacræ dulces affectus, cui similes dabunt concordantiæ scripturarum: Nobis sub proposito suscepto, non licet esse tam disertis. Felices! qui cum Deus nostrum haberi se cupit, cum Thoma respondeat. *Dominus mens & Deus meus.* *Joann. 20.* aut cum Francisco Seraphico, decernant. *Deus mens & omnia,* aut sponsæ gratiam mereantur protestantis. *Dilectus mens mihi & ego ipsi* *Cant. 2.*



MODUS SECUNDUS.

Per Reflexionem, ad usum alicujus rei communem sive is communis sit locis, provinciis, Regnis particularibus: sive magis universalis toti orbi aut Ecclesiæ. Proceditur autem dupli modo: aut usus illius, & consuetudinis, naturam, causas, cæteraque adjuncta, examinando atque explicando: aut reflectendo se, supra materiam objectam sermonis & quibus illa usibus, publicis, aut privatis deserviat, inquirendo. Exemplum primi dare potest die Purificationis Beatæ Virginis Mariæ,

A 5 in